



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

X. De clericis simoniace repraesentatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO
CHRISTI
1145.

VIII.

Si episcopus aliquem excommunicauerit certa de causa, denuntiet vicinis episcopis per suas patentes literas, vt excommunicatum denuntiari faciant, & euitari: & tunc sine difficultate aliqua vicini episcopi excommunicatum faciant publice denuntiari, & in diocesibus suis arctius euitari. Si vero episcopi fuerint negligentēs, & excommunicatis scienter communicauerint, tamdiu cathedralium ecclesiarum canonici eis non communi- cent, quamdiu huic salubri sanctioni contempserint obedire.

IX.

Quoniam in quibusdam locis Alemanix fundatores ecclesiarum, vel heredes ipsorum, potestate, in qua eos ecclesia hucusque sustinuit, abutuntur, partem decimarum, vel aliarum obventionum ecclesiasticarum, in quibus ius obtinent patronatus, sibi retinentes ex pacto, repræsentant clericos ad easdem: huic vulnere cancroso & simoniaco censuræ ferrum apponimus, decernentes vt ex quo constiterit patronum huiusmodi flagitium perpetrasse, anathemate feriatur, & eius terra supponatur ecclesiastico interdicto, donec ecclesiam liberam cum suo iure dimittat, saluo iure patronatus, quod eis de misericordia reseruamus, qui possunt per iuris excusari ignorantiam.

X.

Qui vero cæca cupiditate ducti, taliter a patronis præsentationem receperint, officio beneficioque priuentur, nec ad beneficium vel actus

ecclesiasticos admittantur, nisi cum eis per sedem apostolicam fuerit dispensatum.

XI.

Iuramentū
ante insti-
tutionem
præstandū.

Episcopi vero & archidiaconi, qui talibus scienter curam animarum commiserint, ab institutione & collatione perpetuo sint suspensi. Statuimus etiam quod nullus clericus ad curam animarum ab episcopo vel archidiacono admittatur, nisi prius iurauerit quod nullam in adeptione beneficii, ad cuius curam præsentatur, commiserit simoniam.

XII.

Quia enormis quædam consuetudo in quibusdam Alemaniarum partibus contra canonicas sanctiones inualuit, ut ponantur in ecclesiis conductitiis sacerdotes vicarii temporales, ne id fiat de cetero, auctoritate legationis qua fungimur omnibus modis inhibemus. Sed cum vicarius poni debet & potest, perpetuo instituat, idque assensu & auctoritate diocesani, & archidiaconi loci illius: nec episcopus vel archidiaconus talem instituat, nisi ei de bonis ecclesiæ coram eo tantum fuerit assignatum, unde iura episcopi & archidiaconi possit persolvere, & congruam & sufficientem sustentationem habere.

XIII.

De pœn.
dist. 1. cap.
Si quis. &
in auth. Si
quis, cap.
de episco-
pis & cleri-
cis.

Licet contra nefandos insidiatores sacrarum virginum pudicitie pœnæ grauissimæ sint institutæ tam canonicæ quam legales, quidam tamen, relaxatis voluptatum habenis, in lacum miserie & in lutum facis se immergunt, ut salutis æternæ coronam, honestatis normam, earumque pudici-